



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Directorivm Inqvisitorvm F. Nicolai Eymerici Ordinis Prædicatorum

Nicolaus <Eymericus>

Venetiis, 1607

De his Quae processus fidei prorogare & retardare possunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13589

sunt: quod non spectat ad hoc institutum, ne quis pro-
sus improbabilem esse credat hanc Eimerici sententiam
Alchimis plurimum refert intelligere a quibus. Alchimia
exerceatur: nam si a principibus tractetur, & opu-
lentiis, ac pecuniosis diuitibus, hac fortassis suspicio-
ne, quam ei hoc loco tribuit Eimericus, vacabit: q
si a pauperibus, vel mediocriter diuitibus usurpetur,
quoniam aurum & argentum maiori ex parte
(vt praecitato loco dixit Caietanus) vertitur in fu-
mum, & illi propterea ad inopiam rediguntur, ad
duo solent se incommoda convertere, aut ad daemones
innocandos, ob rationem qua hic auctor commemo-
rat, aut ad falsam & adulcerinam monetam cudendam.

Video huius artis professores acerbius fere in me
propter hoc iudicium inuehendos, at non ego hec lo-
quor, sed viri grauissimi & doctissimi. & quidquid
ipsi dixerint, at certe non poterunt optime satisfacere
extrauaganti Ioannis xxij. incipienti: Spodet
quas non exhibent diuitias pauperes Alchimiste,
refertur inter extrauagantes communes tit. de crimi-
nalis falsi, per quam summus Pontifex grauissimas
penas illis imponit, qui alchimicum aurum, vel ar-
gentum, aut monetam ex illis confectam tanquam
vera vendunt, dant in solutum, aut similia: na haec
transformationes sophisticae sunt, non verae, vt opti-
me scribit ibi Romanus Pontifex. hinc illud vere
etiam dictum.

Ars suspecta probis, ars ipsa inuisaq; multis,
Inuisos etiam cultores efficit artis.
Mendaces, addo, multi manifeste videntur.
Qui se ipsos, aliosq; simul frustrantur in artes;
Dum rerum vertere species tentant.

De ijs quae processus fidei prorogare &
retardare possunt.

Considerandum ultra occurrit, q. quan-
doq; sunt, quae processum fidei pro-
rogat & dilatant, scilicet: Testium
multiplicatio: Defensionum con-
cessio: Inquisitoris recusatio: Delati appellatio:
Et eiusdem delati fuga, seu elogatio. Quodlibet
horum quinque, processum, iudicium, & senten-
tia, prorogant & dilatant: propter quod qualiter
obuietur, est aliquantulum restringendum.

De Testium multiplicatione.

PRIMUM quod prorogat & dilatat Inquisi-
toris processum, iudicium, & sententia est testium
multiplicatio; & haec quandoque est necessaria,
quandoque est superflua. Quando enim delatus
de heresi est conuictus tribus, quatuor, vel quin-
que legitimis testibus, vel non conuictus, sed ipse
confitetur crimen totaliter in substantia, & ef-
fectu, prout est delatus; tunc quia deprehenditur
in confessione propria, & non est locus defensionum,
procedere ad vltiores examinandos &
multiplicandos non est necessarium, sed superfluum
sed tunc est ad penitentiam, vel sententiam procedendum
cum bono consilio peritorum. Quando vero
delatus non est legitime conuictus: vel si est

conuictus, paucis testibus est conuictus; vt pote
duobus, tribus, quatuor, vel quinque testibus, &
stat in sua negatiua in parte, vel in toto, & presu-
mitur plus de pertinacia eius, & malitia, qua de
obedientia & penitentia; licet de iure sufficienter,
tamen vt fortius conuincatur, & veritas melius dete-
gatur, & quia facilius est repellere a testimonio
tres, vel quatuor, quam decem, vel quindecim, vel
viginti; tunc ad conuincendum eius malitiam, ad
examinandum etiam plures testes fidei zelato-
res, est cum magna industria procedendum.

COMMENT. XXVII.

Dixerat paulo antea Eimericus iudicem in hac
causa esse velut medicum, qui quemadmodum
non omnibus morbis eandem adhibet medicinam; ita
nec in singulis reis eandem debet iudex tenere in-
terrogandi modum: quibus nunc addo, quod sicut pru-
dentis medici opus est, propinatis, si necesse fuerit
mendicantis, praecauere, ne morbi humanum cor-
pus inuadant, aut morbi fiant diuturniores; ita sa-
pientis iudicis est, ea amouere & longe lateque repe-
lere, quae vel iudicium impediunt, vel litem facere
possunt propemodum immortalem: quod est omni-
no euitandum. l. properandum. C. de iudic. nam quod
medicamenta morbis, idem exhibent iura negotijs.
auth. haec constitutio in nouat. §. ceterum. & ibi gl.
i. extra de iuramen. calum. & glo. in proamio de
cretal. verbo, noua litiga. & propterea in sequenti
disputatione Eimericus haec impedimenta commemo-
rat, necessariaeque remedia adhibet.

a Quando enim delatus de heresi est conti-
ctus tribus, quatuor vel quinque testibus. Hoc
loco sentire videtur Eimericus per duos testes in
crimine heresis non posse quemquam legitime con-
demnari, & plane multis antiquis Doctoribus ita
olim visum est, dicentibus duram videri hominem
bonae opinionis & fame per duorum testimonium de
tanto crimine condemnare, vt dixi infra super q. 71.
ubi ex professo hac questionem disputavi: interim
videto Ioannem And. in c. excommunicamus, r. §.
ad hunc, de haeret. rel. ab Eimerico supra pa. 2.

b Vel non conuictus, sed ipse confitetur crimine
totaliter, &c. tunc quia deprehenditur confessione
propria, & non est locus defensionibus, &c. Et
ratio est, quoniam inter omnia probatorum genera
reorum confessio obtinet primum locum. de quo vi-
de quae dico statim in commentario sequenti.

c Vel si est conuictus, paucis testibus est con-
uictus, vt pote duobus, tribus, quatuor, vel
quinque testibus, &c. Hic locus videtur superiori
periodo omnino repugnare: nam cum antea di-
xisset tres, vel plures testes sufficere ad conuincen-
dum aliquem; nunc eosdem paucos esse dicit. qua-
re putabam quandoque ita legendum: paucis te-
stibus est conuictus, vt pote duobus, & stat in
sua negatiua, &c. & illa verba, tribus, quatuor,
vel quinque testibus, imprudenter credebam fuisse
hic reposita a scriptore imperito ex superiori
periodo. ceterum quoniam omnes codices conuenie-
bant, non sum ausus quidquam immutare. cogi-
tabam si posset haec contrarietas ita conciliari:
propre-

Num. 116.

Iudex amo-
ueat impedi-
menta, quae
negotium pro-
trahant.

Quot testi-
bus conuincē-
dus reus in
hoc crimine.

Locus obsc-
rus adnota-
tus.